

bona fortunae, honoris, etc.; 2^o libera a iure alieno, ut sunt bona nondum possessa aut derelicta, vel ab aliis concessa.

3^o *Ex parte Dei*. Quippe non solum Deus non prohibuit homini res terrenas sibi proprias facere, sed e contrario ipse eas ita ordinavit, ut ipsius dominio subiicerentur, prout constat ex natura bonorum illorum, ex hominis exigentia, nec non ex iure positivo divino. Sic v. gr. dicitur *Gen. 1. 28. Dominamini piscibus maris, et volatilibus caeli, et universis animantibus, quae moventur super terram.*

Hinc a mundi initio primaevi homines potuerunt pro suo libito bona externa ad suos usus applicare, ut ex sacra Scriptura constat. Unde prima bonorum divisio non facta est iure gentium, ut volunt plures. Aliunde consensus omnium ad divisionem terrae est quid mere gratuitum, non historicum.

PROPOSITIO III.

*Si homo quilibet bona quaedam legitime sua fecerit,
in illa ius per se inviolabile acquisivit.*

§24. — *Prob.* Homo bona externa sua facere non potuit, nisi Deo ita ordinante ad sublevandam naturae humanae indigentiam, ut ex dictis constat. Atqui non potuit Deus ita res ordinare, nec homini ius possidendi proprium largiri, quin simul statuerit, praedictum ius violari non posse. Ergo...

§25. — Hinc 1^o datur praeceptum naturale a Deo ipso promulgatum atque sancitum, vetans ne ius alterius laedatur, et praecipiens, ut si quando laesum fuerit, in integrum restituatur. Ex dictis enim ius proprietarii est per se inviolabile, Deumque habet naturalem sui auctorem, atque sponsorem; sed haec inviolabilitas pessumdaretur, nec Deus eius naturalis auctor et sponsor censeretur, nisi ipse imponeret sanciretque praeceptum naturale ipsam conservari iubens et perturbari vetans. Ergo...

2^o Qui iniuste rem alienam usurpat, reus fit tum erga proximum, tum erga Deum: 1^o quidem *erga proximum*, siquidem laedit independentiam proximi naturalem, et necessario inviolabilem in bonis iusto titulo possessis; 2^o *erga Deum*, violando ius divinum proximo communicatum, et simul praeceptum naturale ius praedictum observari iubens.

§26. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quomodo facta sit primaeva bonorum divisio?*

Resp. Certum est, in prima rerum origine bona fuisse communia (20).

(20) Bona omnia extitisse communia non sic intelligas, quasi homines tunc in communi seu in solidum ea possiderent: sed quatenus, ut dein A. satis explicat, cum nullius adhuc dominio subiicerentur, poterant a quolibet occupari.

Adamo enim et eius filiis terram Deus absque ulla divisione concessit. Constat pariter, divisionem ex primaeva aetate factam fuisse, ita ut bona unius non essent bona alterius. Patet ex *Gen. cap. 4.*, ubi dicitur Abel obtulisse Deo de primogenitis gregis sui.

Quomodo autem facta fuerit bonorum divisio, varii varia de hoc excogitarunt systemata. Alii enim hanc divisionem repetunt ab auctoritate paterna; alii ex conventionem facta inter homines, vel a iure gentium; alii ex auctoritate civili; alii tandem communius ex simplici occupatione rerum communium, idest nondum occupatarum. Hoc ultimum verisimilius omnino apparet. Videtur enim ille modus divisionis bonorum, nempe per occupationem, valde naturalis et facillimus, dum alii difficultatibus non paucis subiiciuntur. Conventio praesertim mutua hominum coadunatorum videtur chimaerica et moraliter impossibilis. Legislatio autem civilis et ius gentium post divisionem maxima saltem ex parte iam peractam subsecuta sunt.

Quidquid sit de origine proprietatis, certum est ius domini de se inviolabile existere 1^o de iure naturae; nam eo sublato subverteretur societas; 2^o de iure divino, ut patet ex septimo et decimo praecepto Decalogi: *Furtum non facies. — Non concupisces domum proximi tui... Exod. 20. 17.*, etc.; 3^o ex lege ecclesiastica et civili, ut ex utriusque fori legislatione comprobatur.

§27. — **QUAER.** 2^o *Quid sentiendum sit de systemate communistarum seu socialistarum, circa bonorum divisionem?*

Resp. Systema istud est impium, societati summe noxium, et in se absurdissimum.

1^o *Est impium*, quia sapientissimum rerum ordinem a Deo statutum ac sancitum penitus tollit, suavem divinae Providentiae oeconomiam funditus subvertit, et male hominibus provisum esse arroganter decernit.

2^o *Est societati summe noxium*. Eius enim totalem subversionem inducit, dum ius proprietatis, sine quo societas humana stare nequit, de medio tollit.

§28. — 3^o *Est in se absurdissimum*. Etenim perfecta divisio bonorum inter homines est omnino impossibilis, et proinde stulta est ac ridicula inventio. Quid enim absurdius et impossibilius, quam illa aequalis inter omnes rerum distributio, et praesertim illius stabilitas? Esto enim quod peracta fuerit; quamdiu, quaeso, perdurabit? Nonne otiositate, ludo, crapula, prodigalitate, imperitia, hebetudine, vel contra ambitione, industria, aut rapacitate, bono aut malo successu destruetur illa aequalitas, statim ac stabilita fuerit?

§29. — Sed aiunt quidam: Nulla fiat bonorum divisio, nullusque sit proprietarius; possideat omnia bona sola Respublica, et cives sint ope-

rarii. Verum quale aderit laborantibus incitamentum? Quis laboris genus singulis assignabit? Quomodo victus quotidianus, et vestimentum omnibus subministrabitur? Nonne requiretur legio praepositorum? Sed iam non omnes igitur duris laboribus addicendi erunt. Quibusnam vero incumbet officium praepositorum vel subditorum? Quid de aegrotis, infirmis, senibus, pueris? quid de familia? quid de officiis mutuis parentes inter et filios? quomodo discernendi erunt veri infirmi ad laborem inepti ab innumeris, qui impotentiam simulabunt? quid de commercio? de artibus? de litteris? de scientiis in societate necessariis, v. gr. iuris, medicinae? etc. Quid igitur illa utopia absurdus? Nonne hoc absurditatum cumulus est habendum? Quid ergo de comunismo dicendum est? Id quod de alio portento perhibuit Poeta: *Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.*

§30. — Obiiciunt communistae: *Terra pro omnibus fructus suos producit.* Ergo... Sic Rousseau.

Resp. Sane terra fructus suos pro omnibus producit, et reipsa omnes a mundi exordio de fructibus terrae victitarunt. Sed titulo aliquo legitimo, v. gr. emptione, commutatione, et imprimis labore et vultus sudore eiusmodi fructus acquirendi sunt. Ante omnia autem servanda est lex divina: *Furtum non facies.*

§31. — Inter patronos doctrinae *socialistarum* ardentissimos eminet Proudhon stupendo hoc effato famosissimus: *Proprietas est furtum (la propriété c'est le vol).*

§. II. De principiis generalibus iustitiae.

PROPOSITIO I.

Iustitia commutativa obligat sub gravi, et cum onere restitutionis.

§32. — *Prob. I^a pars.* Nam iustitia commutativa independentiam naturalem privatorum illaesam servare intendit (21). Atqui violatio illius independentiae *per se* est deordinatio gravis contra ius proximi, et dominium Dei; ergo, etc. — Dixi, *per se*; quia hac in re materiae parvitas admittitur, ut omnibus perspicuum est.

Prob. II^a pars. Nam iustitia respicit aequalitatem rei ad rem; atqui huius laesio non potest reparari, nisi per restitutionem. Quamdiu igitur manet inaequalitas, manet obligatio illam reparandi; et laedens peccat servando inaequalitatem, sicut peccavit eam violando.

(21) Huic principio tantisper obscuro substitui citra iacturam potest aliud commune, quod iustitiae proprium sit servare

cuique ius suum, et quod iuris alieni violatio ex genere suo gravem inordinationem dicat.

PROPOSITIO II.

Caeterae iustitiae species (22) per se obligant etiam sub gravi, sed non cum onere restitutionis.

§33. — *Prob. I^a pars.* Etenim laesio earum deordinationem gravem inducit, cum graviter necessario societatis ordini noceat.

Prob. II^a pars. Etenim non obligant sub onere restitutionis, si earum laesio ius strictum nullius violet. Atqui ita est; nam ius strictum fundatur in sola independentia ab aliis hominibus (23): porro nedum caeterae iustitiae species hominem quatenus independentem respiciant, illum in ordine morali strictissimis vinculis erga societatem, cuius membrum est, devinciunt. Ergo... Sic iustitia legali subditus iusto Superioris sui praecepto parere debet (24); attamen si v. gr. inobedientiae reus fuerit, ad nullam restitutionem tenetur, sed tantum ad poenam subeundam, si qua ipsi imponatur.

Verumtamen aliae iustitiae species saepe iunguntur iustitiae *commutativae*, et huius laesio onus restitutionis inducit: sic restituere tenetur magistratus vel iudex, qui propter gravem negligentiam in puniendo causa est, cur privati vel communitas grave damnum patiantur; quo in casu non solum reus est boni communis, ad quod iustitia legalis inclinat, praetermissi, sed etiam violati contractus, quo assumendo officium se *implicite* obligavit ad damna subditorum praecavenda.

§34. — Hinc 1^o Princeps non potest sine causa gravissima per legem tollere a subdito rem suam, seu ius acquisitum; quia nihil potest circa bona privatorum, nisi quid ratio boni communis omnino exigat.

2^o Potest tamen Princeps, si quando id requiratur ad commune bonum, rem a subdito tollere (25), quia ius ad finem importat necessario ius ad media, sine quibus finis obtineri nequit. Bonum autem publicum aliquando requirit, ut aliquis re sua privetur, v. gr. agro pro via publica construenda, etc. Sed tunc Princeps, in quantum fieri potest, ad iustam

(22) Iustitia scilicet tum *legalis*, tum *distributiva*, tum etiam *vindicativa*, si placeat hanc uti quartam iustitiae speciem admittere.

(23) Clariorem notionem forte habebis in iis, quae §. 519. habentur, ubi iuris tum activi tum passivi definitiones proponuntur.

(24) Alias (not. ad n. 518.) advertimus *obedientiam* et *iustitiam legalem* esse

virtutes prorsus distinctas. Obedientiae autem actus, non secus ac actus aliarum virtutum, tunc formam iustitiae legalis propriam induent, cum ad bonum commune ordinantur.

(25) Hoc est, quod alii communiter appellant *altum dominium*, ius nempe, quod reipublicae competit in personas et bona subditorum, publico id bono exigente.

compensationem tenetur; quia aequum non est, ut unus spoliatur, aliis intactis, prout ex iure naturali et positivo constat (26).

§35. — 3^o Superior ad restitutionem non tenetur, si minus dignis officia societatis distribuit; quia non violat ius strictum dignioris, nec communitatis, quae aliud exigere nequit, nisi ut indigni ab officiis arceantur. — S. Lig. lib. 4. n. 107. contra aliquos. Secus vero, si in concursu Superior minus dignum digniori praeferret; quia in concursu intervenit pactum, ex quo *ius strictum* digniori competit.

4^o Non tenetur ad restitutionem Superior, qui dignitates mere honorificas distribuit sive minus dignis, sive etiam indignis; quia neminem iure suo privavit, quamvis peccaverit ob personarum acceptionem.

5^o Tenetur ad restitutionem erga communitatem Superior, qui officiis publicis indignos destinat; quia *ex quasi contractu* tenetur bonum communitatis promovere. Imo tenetur etiam ad restitutionem erga privatos, qui ex indignis ministris damnum iniustum in bonis fortunae patiuntur.

CAPUT II.

DE PRAECIPUIS IURIS SPECIEBUS.

Praecipuae iuris species sunt dominium, usus, usufructus, et servitus.

ARTICULUS I. — DE DOMINIO.

§36. — DEFINITIO. Dominium est facultas legitima disponendi de re aliqua tanquam sua (1).

DIVISIO. Dominium praecipue dividitur in *perfectum* et *imperfectum*, prout est ius disponendi tum de re ipsa, tum de eius utilitate, aut de alterutro tantum.

Imperfectum autem subdividitur in *directum* et *indirectum* seu *utile*, prout respicit solam rei proprietatem, vel solam eius utilitatem.

Communiter distinguunt etiam dominium *altum* et *humile*. Prius dicitur ius, quod habet suprema auctoritas disponendi aliquando ex gravissima causa de bonis privatorum in bonum communitatis, ut superius n. §34. dictum est. Posterius est dominium privatorum, cui proprie definitio convenit.

(26) In usu huius iuris, uti ex A. quoque colligitur, haec cavenda sunt: 1^o id postulare debet necessitas; 2^o usus excedere non debet rationem necessitatis; 3^o abesse debet personarum acceptio, ne scilicet quidam graventur, dum aliis in simili causa et conditione parcitur: ita

v. gr. iniquissime subinde agitur cum hospitibus milites destinantur; 4^o illata damna in quantum fieri potest, sunt resarcienda.

(1) Quidam addunt: *nisi lege prohibeatur*, quia, v. gr. pupillis et minoribus lex liberam non sinit rerum suarum alienationem.

Caeterum dominium *altum* non est dominium proprie dictum, seu non est verum dominium proprietatis, cum respublica *per se* non habeat ius strictum in bona subditorum. Sed dominium illud medium quoddam tenet inter *dominium proprietatis* et *dominium iurisdictionis*, possetque vocari *dominium administrationis*. — Ita Carrière, n. 19. (2).

Agendum 1^o de obiecto; 2^o de subiecto; 3^o de acquisitione domini.

§. I. De obiecto domini.

§37. Principia. — I. Homo habet dominium *utile* bonorum, quae sibi intrinseca sunt, nempe animae et corporis. Ideo potest absque ullius iniuria iis uti ad propriam utilitatem, et in omnem usum a lege non prohibitum.

Non habet tamen dominium *directum* horum bonorum. Constat ex Scriptura sacra; sic Sap. 16. 13.: *Tu es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem*. — Item Deuter. 32. 39.: *Ego occidam, et ego vivere faciam*. — Constat etiam ex lege naturali, ut diximus, ubi de *quinto Decalogi praecepto*, n. 389. et seq.

§38. — II. Homo habere potest dominium *utile* et *directum* in bona externa fortunae legitime acquisita. Constat 1^o *quoad dominium utile*, quia ex una parte bona haec apta sunt de se ad conservationem vel utilitatem hominis promovendam, et ex alia parte eorum usus iuri divino et humano non adversatur; quinimo Deus ipse praedictorum bonorum saltem utilitatem permisit his verbis, Gen. 1. 28.: *Dominamini piscibus maris et volatilibus caeli*, etc. — Et Psalm. 8. 8.: *Omnia subiecisti sub pedibus eius*. — Constat 2^o *quoad dominium directum*, quia facultas applicandi bona fortunae ad usus suos nullo iure restringitur; imo expresse permittitur iure humano, ut patet ex variis legibus circa ius possidendi, et iure divino in allatis verbis: *Dominamini*, etc.

§39. Quaesita. — QUAE. 1^o *An homo habeat dominium suae famae?*

Resp. *Affirm.*, iuxta sententiam communem; nam etiam circa famam homini competunt primarii actus domini, ut eam labore acquirere, eius restitutionem condonare, etc. Ergo... Attamen prudentia exigit, ut non eam prodigat sine iusta ratione, et aliquando tenetur *sub gravi* eam sedulo servare ratione scandali, damni familiae removendi, etc. — S. Lig. lib. 3. n. 983. — Billuart, diss. 3. art. 2.

QUAE. 2^o *An homo in alium hominem dominium habere possit?*

Resp. 1^o *Neg.* quoad dominium proprietatis; illud enim soli Deo competit, ut constat ex dictis n. §22.

(2) Sed et hic conceptus plane obscurus est. Dic simpliciter esse ius reipublicae proprium, ut praescribat, quid ad bonum commune sit necessarium, aut expediat.